

na ista respiciat finem supernaturalem: secus est in scholis, ubi doctrina ordinatur pure ad illustrandum intellectum, licet per accidens aliquis ea utatur ad dirigendam conscientiam; alioquin simoniacus etiam foret professor juris civilis, explicans, an contractus aliquis sit licitus vel illicitus.

48. Q. VIII. *An in Ecclesiis constituendi sint Magistri pro clericis et aliis juvenibus instruendis?*

R. 1^o In Ecclesia metropolitana præter grammaticum, constitui etiam debet theologus ad clericos in sacra pagina docendos: in Ecclesiis verò collegiatis et cathedralibus inferioribus, si propter tenues redditus sustentari nequeat theologus, saltem magister grammaticæ alendus est (*c. 1. 4. h. t. Trid. sess. 5. c. 1. de refor.*) Hodie huic obligationi satisfit per academias et gymnasia multis locis erecta.

Inter hæc enumerantur illa Scholarum Piarum Ordinis, cujus magistri ad juventutem pietate et litteris erudiendam quarto solemniori voto, et quid speciali præ ceteris regularibus Ordinibus, obstricti sunt. Quas autem facultates, cujusque conditionis pueros in suis Scholis edocere possint, constat ex Constit. Clem. XII.

2^o Jure antiquo, *c. 4. v. assignetur, hoc tit.* magistro assignandi erant redditus unius præbendæ: jure novo Trid. *sess. 5. c. 1. de refor.* grammatico assignandi sunt fructus simplicis beneficii, vel alia congrua merces: theologo verò præbenda, alio onere incompatibili non gravata, qui propterea evadit verus Canonicus, dici solitus *scholasticus* seu *magister scholæ*.

TITULUS VI.

DE JUDEIS, SARRACENIS ET EORUM SERVIS. ^a

49. *Nota.* Infidelitatem, de qua hic agitur, magis contrariari religioni veræ, quàm simoniam, cum illa tollat fidem, quæ est radix veræ religionis, licet simonia veneno suo plures fideles inficiat, quàm infidelitas. Dividitur autem infidelitas ex modo, quo adversatur fidei, trifariam: in *paganismum*, qui utrumque testamentum negat: *judæismum*, qui vetus testamentum admittit et novum negat: et *hæresim*, quæ utrumque testamentum admittit, sed quibusdam articulis contradicit (S. D. 2. 2. q. 10. a. 5.) Si quis inculpabiliter ignorat fidem nostram, dicitur *infidelis negativè*, quia fides ei nunquam annunciata fuit. Si verò culpabiliter ignorat, vel malitiosè et pertinaciter contra-

^a—Agitur de hac materia in Clem. Extrav. Joann. XXII. et Extrav. com. h. t.—In Decreto 28. q. 1. et 2.—In Codice lib. 1. tit. 7. 9. 10. 11. 12.

dicit fidei, est *infidelis privativè* aut *contrariè*, et hoc modo infidelitas imputatur ei in peccatum, ut fusiùs docent TT.

50. Q. I. *An judæi licitè tolerentur inter christianos?*

R. Affirmativè, ex *c. 9. §. nullum h. t. l. 14. C. eod.* conformiter Apostolo *ad Rom. XI. v. 25.*, ubi docet judæos ante finem mundi ad Christum convertendos; nam judæorum toleratio, eorumque ritus perpetuum dat fidei christianæ testimonium, ut ex figura videamus figuratum. Econtrà, quia pagani et hæretici nullam specialem utilitatem afferunt Ecclesiæ Christi, sed potiùs perniciem et periculum perversionis, ideo minimè tolerandi sunt, nisi dira necessitas aliud exposcat. Porrò circa judæos aliqua observanda sunt:—1^o Ut non facilè recipiantur ad loca, ubi antea non erant: et ideo jus recipiendi judæos Imperatori reservatum est in Imperio, deinde porrectum ad Electores, Principes et Status (*Ord. Polit. tit. 27. an. 1530.*)—2^o Ut novæ synagogæ non erigantur, neque antiquæ, jam collapsæ, et funditus eversæ excitentur, vel ruinosæ in nobiliorem formam restaurentur (*c. 3. 7. h. t. et l. fin. §. 1. C. eod.*)—3^o Ne fabri christiani ædificent vel restaurent judæis synagogas; nam istæ per se ordinantur ad ritus illicitos; ergò sicut citra peccatum non possunt fabricari idola, ita neque synagogæ (S. D. 2. 2. q. 169. art. ad 4.)

51. Q. II. *An, et quæ communicatio prohibeatur fidelibus cum judæis et paganis?*

R. 1^o Prohibetur communicatio religiosa, v. g. in Sacramentis, Sacrificio Missæ, in ritibus orationum etc., unde Christiani non possunt vesci azymis judæorum, etiam separatim ab iis (*Can. 13. nullus 28. q. 1.*), nec judæorum aut paganorum templa ingredi eo tempore, quo suos superstitiosos ritus exercent, idque ob causam scandali et perversionis, qua causa cessante, talis ingressus ex vana curiositate factus, non videtur excedere veniale.

2^o Prohibetur cum judæis communicatio politica in seqq. casibus:—I. Non debent Christiani cohabitare judæis, nec eodem balneo vel convivio cum eis uti, atque ita familiaritatem cum eis contrahere (*Can. 13. nullus 28. q. 1. c. 5. h. t.*)—II. Non debent uti medico judæo, vel medicinis à judæo confectis, nisi necessitas aliud suadeat (*ibid.*, et Const. Greg. XIII. incip. *Alias piæ.* 1581.)—III. Non debent eis famulari, maximè intra domos eorum, vel in synagoga (*c. 5. 8. h. t.*); eis tamen possunt locare operas, v. g. ad collendos agros, domum extruendam etc. (*c. 2. 8. h. t.*)—IV. Christiani non debent habere judæum famulum, qui sit domesticus familiaris (*Can. 12. et seqq. 28. q. 1.*) Secus si non fiat domesticus (*c. 13. h. t.*), quia judæi dolosi sunt, et periculum perversionis afferunt; quæ ratio cum non procedat in sarracenis, potest christianus habere servum sarracenum.—V. Mulieres christianæ non debent nutrire et lactare liberos judæorum, nisi in gravi casu necessitatis: ut si infans parentibus destitutus vitæ periculum subiret; secus mulieres excommunicandæ sunt (*c. 5. 8. h. t. Const. Pauli IV. incip. Cum enim.*)

3.^o Christiani non possunt paganis cohabitare et conviviis cum eis uti (*c. 5. h. t.*), ubi hi duo casus exprimuntur: ac proinde alia communicatio politica non videtur cum eis prohibita, nisi subsit periculum perversionis.—II. Non debent eis arma et alia instrumenta bellica subministrare; sub pœna excommunicationis latæ in *casu 7. Bullæ Cœnæ* et *c. 6. 11. 17. h. t. Extrav. un. Joan. XXII. eod.*, et de jure civili sub pœna capitis et confiscationis bonorum (*l. fn. C. quæ res export.*) Eandem excommunicationem incurrunt, qui secreta christianorum infidelibus revelant, etiam effectu non secuto, vel qui tempore belli alias merces ad eos deferunt (*c. 12. h. t.*), quia periculum est proditiōis de arcanis christianorum.—III. Princeps christianus regulariter illicitè agit, ineundo fœdus cum infidelibus auxilii causa contra fideles; nam talia fœdera de se impia, christianis exitiosa et periculosa severè prohibentur *Eod. 23. in fn. et 34. v. 12.*, *Deut. 7. v. 2. et 2.*, *Cor. 6. v. 14.* Si tamen fideles non possent haberi in bello justo defensivo, licebit opera auxiliari infidelium uti, ex *reg. 4. in antiq. quod non est licitum in lege, necessitas facit licitum.* Hoc et non plus probant exempla Abrahami cum Aner, David, et Salomon cum Hiram, Machabæorum cum Rom.

52. Q. III. *Quæ judæis inter Christianos sint concessa et prohibita?*

R. 1.^o Concessa sunt seqq.:—I. Jus civitatis quoad dominia rerum, ultimas voluntates et contractus.—II. Publica protectio, ne turbentur in suis festivitatibus et ritibus; ne cœmeteria eorum violentur sub pœna excommunicationis; ne eis noceatur in vita, membris et fortunis (*c. 9. h. t.*) Si verò delinquant, regulariter puniendi sunt à magistratu politico, nisi delicta redundarent in contemptum religionis christianæ: tunc enim ab Inquisitoribus et Episcopis contra eos procedi potest usque ad eorum extirpationem, ex *Cons. Greg. XIII. incip. Antiqua.*—III. Judæi vel sarraceni conversi ad fidem, rebus suis non sunt spoliandi (*c. 5. h. t.*); si tamen revertantur ad vomitum, vel si christiani apostant à fide, substant inquisitioni, nisi forsàn baptismus fuisset invalidè eis collatus.

2.^o Prohibita sunt seqq.:—I. Ne judæi fungantur aliquo officio publico (*c. 16. h. t. l. fn. pr. C. eod.*), et ideo christianus non sequitur forum judæi rei, sed eum convenit coràm magistratu christiano, ut lis decidatur secundùm jura civilia (*l. 8. C. h. t.*)—II. Ne à clericis vel laicis instituantur hæredes (*Can. 6. sane 24. q. 2.*), idque generalis consuetudo observat.—III. Ne hebdomade majori in publicum prodeant, et in die Parasceves ostia vel fenestras apertas habeant (*c. 4. h. t.*), quod decretum strictius in Italia, quàm Germania observatur.—IV. Ne habeant nutrices, obstetrices et famulos christianos, ut antè dictum.—V. Ne habeant servos seu mancipia christiana; alioquin teneantur ea justo pretio distrahere, scil. 12 solidis (*c. 1. h. t.*) Si tamen glebam seu fundos comparaverint, quibus annexi sunt servi adscriptitii vel originarii, eos habere judæi non prohibentur (*c. 2. h. t.*)

53. Q. IV. *An judæi et pagani directè cogi possint ad suscipiendum baptismum et fidem christianam?*

R. Negativè, ex *Can. 3. et 5. d. 45. et c. 9. h. t.*, et *c. 3. §. item de baptism.*, continua praxi et usu Ecclesiæ nobis declarantibus, voluntatem Christi esse, ut cuique libera sit conversio ad fidem, juxta illud, *qui crediderit, et baptizatus fuerit, salvus erit*, *Marc. ult. v. 16.* Ratio ex parte fidei est; quia credere est liberæ voluntatis (*S. D. 2. 2. q. 10. a. 8.*): ad actum verò liberum voluntas cogi non potest. Ratio ex parte jurisdictionis est, quia princeps vi jurisdictionis temporalis non potest cogere ad spiritualia, quæ non cadunt sub potestatem temporalem; Papæ verò jurisdictio spiritualis non se extendit extra Ecclesiam ad eos, qui non sunt baptizati, ut indicat Apostolus *1. Cor. 5. v. 12. Quid mihi de his, qui foris sunt., judicare?* ergò. Unde infideles subditi ex hoc solo, quod ad fidem non convertantur, non possunt puniri, vel libello impeti; nisi lædant jus Ecclesiæ, v. g. prohibendo liberam prædicationem fidei christianæ, non permittendo ejus professionem, torquendo ad fidem conversos. At indirectè invitari possunt ad fidem, propositis præmiis temporalibus, honoribus, relaxatione tributorum et pœnarum justè eis pro criminibus debitarum, prohibitione cultus superstitiosi, compulsione ad audiendas conciones de rebus fidei, sicut in *Const. 92. Greg. XIII. statuitur*, ut certo die concio ad judæos pro eorum conversione habeatur, cui saltem tertia pars judæorum interesse debeat.

Dices:—I. Infideles cogi possunt ad servandum jus naturale, et divinum, quale etiam est de suscipiendo baptismo: et ideo Christus jussit compelli intrare ex vicis et plateis.—II. In *Conc. Tolet IV. laudatur Sisebutus Rex Gothorum*, quod judæos baptizari renuentes, turpiter decalvatos exulare jusserit, quod et fecit Ferdinandus et Isabella Reges Hispaniæ 4000 judæorum proscribentes.—III. Ad fidem cogi posse insinuant jura *Can. 4. jam verò, et v. his ità 23. q. 6. l. 12. t. h. t. l. fn. C. de paganis.*

R. *Ad I.* Cùm Christus Dominus liberam esse fidem voluerit, nec alicui in terris potestatem cogendi dederit, ad illam nemo cogi potest defectu potestatis, licèt infideles cogi possint ad observantiam juris naturalis, uti et coerceri, si contrariantur Prædicatoribus Evangelii. *Textus: compelle intrare*, intelligitur secundùm *S. Chrys. de compulsione in fine mundi*, non violenta, nisi indirectè, ratione pœnarum et malorum, quæ extremum diem judicii præcedent.—*Ad II.* Laudatur zelus Regis, non factum *Can. 56. d. 45.*, nisi exilium istud judæi fuissent promeriti ob sua delicta, et conversationem Christianis perniciosam atque hostilem, sicut tempore Ferdinandi et Isabellæ.—*Ad III.* Ex his et similibus juribus plus non colligitur, nisi compulsio indirecta quatenus infideles, propositis bonis conferendis, et malis promeritis relaxandis invitantur ad fidem (*Can. 5. et 5. dist.*)

* His referre juvat, quæ notatu digna leguntur in epistola Benedicti XIV. ad Archiepiscopum Tarsensem, Vicesgerentem urbis, *Postremo mense 28. Febr. 1747. in ejus Bullar. tom. 2. circa Judæorum, et Infidelium Baptismum.*

«Licite baptizari possunt filii infantes et impuberes Judæorum et Infidelium, invitis parentibus, in sequentibus casibus:

»I. Si sint in extremo mortis discrimine, ex Decretis S. Cong. Inquisit. 2. Novemb. 1678, et 18. Febr. 1706. ibid. relatis §. 8.

»II. Si sint à parentibus projecti atque derelicti; cum tunc statim subducti dicuntur à patria potestate (c. 1. *de Infant. et Languid. expositis.*) Tales autem intelliguntur, non qui sine patre, sine matre vel nullo comite aut per urbem, aut extra Hebræorum vicum temerè vagantur, sed qui in loco publico soli, abjecti atque omni cura et spe destituti inveniuntur (ibidem §. 9. et 10.) Item baptizari posse censet Reiff. l. V. Decret. tit. 6. de Judæis n. 52., si ita sint à parentibus jam separati, ut iis ampliùs non debeant aut nequeant restitui, v. g. si parentes essent mortui. Crederem tamen hanc sententiam corrigendam esse quoad secundam partem, si adessent vel avus, vel tutores, utpotè succedentes in jura patris; tunc enim his restitui deberent. Item baptizari posse credunt auctores relati à Lucio Ferraris, Prompta Bibliotheca, verbo *Baptismus* art. 5. n. 22. amentes quando nulla est spes ad rationis usum eos pervenire posse.

»III. Si offerantur ad baptismum à patre converso, etiam invita matre (c. *Ex literis* de convers. infid.), vel à matre, invito patre, ob favorem fidei, qui juxtà magis receptam opinionem locum habet etiam in casu matris conversæ (ibidem §. 15. et 16.)

»IV. Si offerantur ab avo paterno, pariter converso, etiam utroque genitore invito, ex De. Gr. XIII. aliisque juribus ibid. allatis §. 17.

»V. Si offerantur ab avia paterna conversa nepotes ex filio defuncto, etiam contradicente matre, ut decrevit in hac eadem facti specie, quod Romæ accidit anno 1751. idem Bened. XIV., ut in altera ejusdem epistola ad Petrum Hieronymum Guglielmi sac. Inquisitionis Assessorem, *Probe te* 15. Decemb. 1751. impressa in cit. Bullar. tom. 3.

»Hic quæri posset, an et id aviæ maternæ liceret: et quamvis ex paritate rationis, in favorem nempe religionis, primo intuitu videatur licere, non tamen crederem, hoc tuto asserendum; nedum, quia hic casus nullibi reperitur decisis, et in jure positivo de casu ad casum non valet illatio, sed maximè in avia materna non ea potest considerari qualitas, quæ in paterna: pro hac enim præter favorem religionis, militat enim legis dispositio, cum et ipse veniat sub appellatione parentum *L. appellatione ff. de verb signi.* et quod pertinet ad curam nepotum, pari jure censeri debet avus et avia paterna ex benigna concessione, *auth. matri et aviæ eod. tit.* Ex quo fit, quod non sit persona pœnitens extranea, sed à familia sua per matrimonium in filii familiam translata, naturali quadam connexionem primas in hac eadem familia partes una cum ipso obtineat: quod dici nequit de avia materna: et ceteroquin solus religiosus favor non satis sit, ut reluctantibus parentibus, eorum filii licitè offerri possint: aliàs unicuique personæ, quamvis extraneæ, id liceret, ut doctissimè in cit. epist. ratiocinatur idem Pontifex.

»VI. Si parentibus orbi offerantur à tutoribus juxtà receptam sententiam ibidem relata §. 13. et in cit. epist. ad Archiepiscopum Tarsensem §. 14.

»VII. Si filii servorum pœnialium offerantur ab eorum dominis, filii scilicet Turcarum bello capti, sicuti et nati ab ipsis in captivitate, non autem filii christianorum capti in bello inter eosdem christianos gesto; cum hi sint servi servitute tantum civili, ut ex rationibus allegatis in cit. epist. ad Petrum Guglielmi §. 15. et 26.

»VIII. Si offerantur Infantes Hebræorum à parentibus, qui semel dixerunt se catholicam fidem amplecti velle, licet postea à proposito recedant ex Decr. sac. Inquisitionis sub die 24 Septemb. 1699. relat. §. 18. cit. epist. ad Archiep. Tarsen.

»IX. Si offerantur nedum à parentibus neophitis, sed etiam ab Ethnicis et Judæis in infidelitate et judaismo remanentibus, dummodo fide bona ab eis id fiat, et infantes baptizati apud christianos remaneant, ut §. 10. epist. ad Petrum Guglielmi: et in eo etiam casu, quo unus consentiret, et alter non, ut aliqui sentiunt.

»X. Si ipsimet Judæorum et Infidelium filii statim ac ad usum rationis pervenerint, baptismum ultrò postulaverint (§. 36. et seqq. epist. ad Archiep. Tarsen.)

* Notandum etiam est ex hac eadem epistola:

»I. Rationis usum regulariter ab anno septimo completo inchoari, ex Decreto Cong. Conc. 16. julii 1639. ibidem relato §. 32.

»II. In dubio de perfecto rationis usu baptismum esse protrahendum, et interim puerum illum petentem non remittendum ad parentes, sed ab eis procul retinendum, donec constet de ejusdem perfecto rationis usu (ibidem §. 32. et seqq.)

»III. Si post adhibitam diligentiam reperitur verè rationis usu carere, restituendum esse parentibus (ibidem §. 4.)

»IV. Illicitè baptizatos, idest neque à parentibus, neque ab aliis jus in eos habentibus ad baptismum oblatos, non esse restituendos parentibus, etiamsi hi cautione aut fidejussione data, ingenuè spondeant, eos, vix dum ad convenientem ætatem pervenerint, Christifidelibus restituendos, nec quidquam contra fidem catholicam edocendos (ibidem §. 28. et seqq.) Contra autem sic baptizatos, si postquam adoleverint, parentum ritibus adhæserint, et fuerint de hoc confessi aut convicti, procedendum esse tamquam contra hæreticos**